

1380 omnes proprius Brundulum coibant, speculatoriis navigiis utentes, ut si quid hostis movisset, continuo sciri posset. Ita se res Veneta ad Brundulum habebat: quum tribus interim navibus dextro littore missis cum præsidii parte, Lauretum Venetus oppugnatione adortus, paucis diebus recepit, receptum fido firmavit præsidio: Turrim novam, quæ sub Genuensium adventum conflagrarat, restituit, relictis qui eam diligent cura custodirent. Per eos dies, quibus Lauretum receptum est, turris quæ ad Virginium fuit (quo in loco hostes circa portum Præsidium habebant) subito tormenti iætu concussa, ingentem traxit ruinam, qua Petrus Aurius Ligusticæ classis præfetus oppressus est. Sunt, qui eum periisse dicant, dum navalem pugnam cieret: quo cadente, relictum sit præsidium, classis subiecto igne deserta. Venetus viator fugientem hostem Clodiam usque infecutus, ibique ante parvam Clodiam prælium instauratum: iterumque accepta clade, Ligurem viætum, dimidio pontis amissso, trepide intra mœnia compulsum, captosque die illa Genuensium sexcentos, totidemque fere cæsos, in quibus præter Aurium, de quo diximus, Thomas Gocius vir illustris ruina pontis oppressus fit. Sed Chinatius rem aliter digerit: quem ut in aliis, in hoc quoque libenter sequimur. Ille non uno die, sed diversis, hæc quæ diximus, gesta tradidit. Nunquam alias inimica castra tam proximo inter se loco fuere, nec quæ telorum omnium multitudine ita mutua se clade afflixerint. Ferunt nullum fuisse diem, quo non supra quingenitos grandiores lapides æneis machinis excusso cum ingenti strage & ruina in alterutra castra conciderint. Nec interea circa urbem quietiores res erant: sed quotidie secus minorem Clodiam per alterutrius partis occasionem prælia committebantur. Clausis in hunc modum Genuensibus, ex Piceno agro, tota Flamminia, & ex Ferrariensi per Padi fluenta cœptum est Venetas navigari. Continuo igitur annona levata est, quæ usque adeo invaluerat, ut penne ad exitium sit in urbe laboratum: ferunt quadruplo pluris solito triticum & omnia obsonia per id tempus venisse.